

7765

QUAESTIO
DE INCURSIONE PER MONGOLOS IN
SILESIAM FACTA ANNO 1241.

DISSESSATIO
INAUGURALIS HISTORICA
QUAM SCRIPSIT
ET
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XXVII. M. FEBRUARII A. MDCCCLXIX.
PUBLICÉ DEFENCET
AUCTOR
ATHANASIUS KOPIETZ,
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

SIENIAWSKI, DR. PHIL.
PILZNER, STUD. PHIL.
LANGER, STUD. THEOL. CATH.



SUIDNICII,
TYPIS OFFICINAE L. HEEGII.

XIV, 229



E-12855

HUGO SIMONI

Suidnicensi Parocho

Viro Reverendissimo Illustrissimo

Egregie De Se Merito

Dedicat

AUTOR.

Caput I.

De Mongolorum expeditione facta in Poloniam ac Silesiam usque ad castri Legnicensis obsidionem.

In capitibus, quae antecedunt, jam demonstravimus, Petam vel Paidar Kiovia capta et incensa Poloniam esse ingressum, Batum vero imperatorem cum maxima multitudine militum in Ungariam, Caidanum autem in Transsylvaniam processisse: breviter quoque explicavimus, quae exercitus uterque et in Ungaria et in Transsylvania gesserit. Sub finem mensis Decembris anni 1240 Peta urbem Lublinensem expugnavit et Vislicia frigoribus congelata superata, urbem Sandomiriensem XIII die mensis Februarii anni 1241 (die cinerum) cepit terramque crudeliter vastavit.¹⁾ Progressus in laeva Visliciae ora Cracoviam pervenit, unde dux Boleslaus V, dictus Pudicus, cum Kunegundi uxore, Belae Ungarorum regis filia, et Grimislava matre in claustrum Cisterciensium Vellegrad, in Moravia situm confugit.²⁾

¹⁾ Boguphali episcopi chronica. „Qui die Cinerum civitatem et terram Sandomiriensem vastaverunt, nulli sexui vel aetati parcentes; et postmodum per Visliviam Cracoviam pervenerunt vastantes.“

²⁾ Dubravii episcopi Olomucensis: Historia Regni Bohemiae, de rebus memoria dignis etc. Ed. princ. 1552. liber XVI. p. 99: „abducta itaque matre et uxore, Cracoviaque civibus vacua relicta, quisque enim sibi illum locum, qui tutior esse videbatur, quaerebat, ipse in Moraviam ad coenobium Velegradense confugit.“

Quo tempore Mongoli Cracoviam pervenerint satis certe non constat, videntur vero ibi fine Februarii vel initio Martis mensis anni 1241 advenisse. Hoc loco Dlugossii relatio commemorabilis est, inducentis Mongolos XIII die mensis Februarii Cracoviam vastantes et incendentes: errat enim et commutat Sandomiriam deletam cum Cracovia diruta. Ceterum ille has res describens multos incidit in errores: refert enim Polonus a Mongolis XVIII die mensis Martii esse superatos apud Chmielik, hostesque deinde Cracoviam processisse atque ibi XIII die mensis Februarii advenisse. Ad res melius intelligendas citamus scriptoris verba: VII p. 674: „Tartari autem post cladem apud Chmielik patratam Cracoviam in die Cinerum pervenient et eam vacuam hominibus insenderunt.“ p. 672....., in Chmielik villa prope Schidlow oppidum sita, concurrunt, et nihil Tartarorum multitudine, quam ab exploratoribus cognoverant et oculis ipsis praevererant, deterriti, feria secunda in crastino Dominicæ Judica, alias XV. Cal. Aprilis in solis exortu cum Tartaris congregiuntur.“ Non dubitamus quin Dlugossius annales inspiciens capituli Cracoviensis,¹⁾ referentes Cracovia captu milites cum Mongolis arma conseruisse, illorumque relationem comparans cum Boguphali loco demonstranti, Sandomiriam XIII die Februarii captam esse, res commutaverit atque ita ad talem errorem pertinentem ad temporum ordinem seductus sit. Pro certo igitur est habendum, Cracoviam initio mensis Martii anni 1241 a Mongolis incensam maximamque incolarum partem interfectam arcisque praesidium, quod primum se receperisset, deinde vero hostibus obviam iisset, ut praeda eos spoliaret, superatum esse.

Cracovia relicta Peta exercitum suum divisit in partes duas,²⁾ ut impediret quominus duces Polonici vires suas

¹⁾ Monum. Germ. XIX.

²⁾ Huillard-Bréholles: historia diplomatica p. 1148 epistola Friderici II imperatoris Henrico III Britanniae regi missa. „Nam una per Pructenos (? Rutheros) transmissa et in grediente Poloniā,

cum ducibus Silesiacis conjungerent: ipse igitur cum exercitus sui majore parte septentriones versus abiit et pervastavit Syradiam, Cujaviam et Lancitiam, regiones inter Viadrum inferiorem et Visliciam sitas. Haec sola illius exercitus Mongoli facta usque ad pugnam Walstatiensem memoriae tradidit Boguphalus, singulas res non persecutus. Altera vero exercitus pars occidentalem plagam versus ad Viadrum progressa prope ad Opol armis decrevit contra Boleslai Opoliensis et Wladislai Sandomiriensis ducum copias: fugati duces ad Henricum II Vratislaviae Silesiaeque ducem abierunt et postea in pugna Walstatiensi exercitui Henrici pugnantes interfuerunt. Devicto exercitu Silesiaco apud Opol Mongoli angustii in finibus Silesiae Bohemiaeque prope ad Glatziam sitis appropinquaverunt; a Wenceslao vero jam antea angustiae präsidii munitae erant, qua re Mongoli irrito ut decederent sunt coacti.

Converterunt igitur iter et pergressi plagas Münsterbergenses et Henrichovienses, claustrum Henrichoviense incenderunt. Autor enim „libri foundationis claustrum St. Mariae virginis in Henrichow“ p. 51 haec facit verba: „suprascripto privilegio a domino duce Heinrico a paganis interfecto huic claustro donato, postmodum transactis non plene unius anni diebus intraverunt maledicti pagani provinciam istam, per quos licet multa sint acta lamentis et lacrimis digna, in plaga tamen generali est claustrum illud in cynerem et

Princeps et dux terrae illius ab eorum insequenti exterminio ceciderunt, et dein tota fuit per illos illa regio devastata. Secunda, Bohemia fines in gressa est, et aggressa substitut, Rege illius terrae cum suis conatibus viriliter occurrente. Tertia percurrit Hungariam Austriae finibus vicinandam Datum Faventiae III Julii anno 1241. „In recessu post ditionem Faventiae.“

Matthaeus Paris Monachi Albanensis Angli. „Historia Major. Additamenta“ p. 1129 Epistola Jordani, Ordinis fratrum Minorum, Vicarii provinciae Bohemiae et Poloniae ante IX diem Maji mensis anno 1241 conscripta. „ . . . de tertia vero, quae in Boemia dicitur, gressus est rex in occursum, cum innumerabili multitudine exercitus“

favillam totaliter redactum.“ Mongoli igitur, quum a praesidio a finibus Bohemiae repulsi essent, Legniciam versus abierunt, postquam claustrum Henrichoviense deleverunt.

Caput II.

Castri Legnicensis obsidio et pugna in Walstatt commissa.

In epistola¹⁾ Wenceslai Bohemiae regis haec verba inveniuntur: „Ducem etiam jamdictum in castro Ligentze obsederunt, quod vix distat duodecim milliari a Gubin“, qui locus certam expromit sententiam, castrum Legnicense cum duce obssessum esse a Mongolis.

Quod vero castrum a Petae exercitu non esse oppugnatum plane appetet et hoc loco invenitur illa Mongolici exercitus pars, quam in Silesia superiore dimicantem atque ab angustiis Bohemiae redeuntem claustrumque Henrichoviense vastantem fecimus. Erant autem illae Henrici ducis copiae majores quam quae a tam parva manu obssessae teneri possent omnes enim aequales scriptores confirmant, exercitum Silesiacum plus triginta milia habuisse. Omissa igitur castii irrita obsidione haec Mongolici exercitus pars abiit Petaeque exercitui ex Polonia septemtrionali in Silesiam in feriorem procedenti se conjunxit.

A nuntiis igitur de adventu Petae monitus et obsidione in qua modo fuerat edoctus, Henricus dux, ne ab exercitu tanto denuo et majore cum periculo²⁾ oppugnaretur, consilium hostibus obviam eundi cepit.

¹⁾ Hormeyer, goldene Chronik p. 66.

²⁾ cfr. „Geschichte der Missionsreisen nach der Mongolei während des 13. und 14. Jahrhunderts“ von Dr. Ph. H. Kuehl. e. V. p. 121. Uebersetzung des Reiseberichtes von Johannes de Plano-Carpini. „Im Allgemeinen sehen es die Tartaren bei weitem lieber, wenn sich die Bewohner eines von ihnen angegriffenen Landes in die Städte und Burgen einschliessen, als wenn sie im offenen Felde mit ihnen kämpfen,

Hoc igitur est, quod dux, quamvis Wenceslaus, Bohemorum rex, haud nimis abesset, auxilio non exspectato, hostes sit adortus. Mongolos omnino maluisse pugnare contra hostes urbibus atque arcibus inclusos, quam in proeliis contra acies instructas, Joannes de Plano-Carpini est testis. Egressus igitur Henricus castro urbeque Legnicensi cum exercitu in campo a Nissa flumine inundato, qui nunc dicitur Walstatiensis, aciem instruxit.

Priusquam ad pugnae relationem accedimus, agendum est de numero et institutionibus tam christiani quam Mongolici exercitus. Jam Februario mense Henricus perniaci sibi imminere ratus, quam maximas collegit copias, quibus accesserunt majoris Poloniae milites, qui ex proeliis ibi cum Mongolis consertis effugerant. His omnibus sese conjunxerant Boleslai et Wladislai ducum milites, qui jam antea prope ad Opol cum Mongolis armis decreverant. Auxilium quoque tulit Henrico duci Poppo de Hosterna,¹⁾ magister Prussiae, pro fide christiana pugnaturus. Quod attinet ad illos Dlugossii quingentos aurifossores, nullum de iis aeqnalium exstat testimonium.

Diploma Silesiacum²⁾, quod citamus, nihil aliud nisi Silesiacarum urbium in pugna dimicasse incolas docet: neque nimis aberrabimus a veritate profitentes, illos pedites levis armaturae in exercitu christiano fuisse. Duces inve-

und sie pflegen zu sagen, diese Leute seien ihre im Stalle eingesperrten Ferkel, welche sie nur zu bewachen brauchen. . . .“ Confer quoque Friderici II imperatoris mandata spectantia ad disciplinam militarem in exercitibus contra Mongolos pugnaturis habendam. Huillard-Bréholles p. 1125.

¹⁾ Schirrmacher Geschichte Friedrich II. IV. p. 361.

²⁾ Urkundensammlung zur Geschichte der Städte und der Einführung und Verbreitung deutscher Colonisten und Rechte in Schlesien und der Oberlausitz. ed. G. A. Tzschoppe und G. A. Stenzel. Hamburg 1832 p. 278.

„Nach deme Herzogen Heinrich mit dem Barte wart sin Sun, Herzoge Heinrich Here und was daran zwei Jar. In deme dritten Jaren wart he und Her Thomas der Voit und manie Bidermann irslagen von den Heiden.“

niuntur Henricus Pius Silesiae, Poloniae et Cravoviae dux, Boleslaus Opoliensis et Wladislaus Sandomiriensis duces, Poppe de Hosterna, Boleslaus dictus, Szepowa, Dipoldi Marchionis Moraviae filius et permulti Silesiae nobiles, quorum nomina commemoramus: Nostiz, Zedlitz, Glaubitz, Kottwitz, Lastwitz, Pogrell, Busewoi, Radeck, Rheinbaben, Tschammer, Brauchitsch; Wierbna, Rothkirch.

Omnes scriptores una voce edicunt, Henrici exercitum plus triginta vel quadraginta milia non habuisse, et hoc probabile videtur, quod illo tempore Silesia et Polonia incolis frequentes non erant et quod clade demum accepta a Polonis apud Chmielik et a ducibus apud Opol magna militum multitudo in silvas et in loca abscondita secesserit. Exeritus Henrici constabat, ut erat mos medii aevi ex equitibus gravis armaturae, pedites, qui sine dubio Mongolorum turmas haud levi detimento affecissent, perpauci erant, quod oppidani tantum tali modo in acie pugnare solebant. Poloni vero, ducis nobiliumque servi in numero equitatus levis armaturae habebantur.

Plane diversoē a Christianorum exercitu Mongolorum copiae et militari erant disciplina et numero et armis. Jam per quadraginta annos militia functi omnium et in Asia et in Europa hostium victores extiterunt. Hac conscientia fretus Mongolorum exercitus persuasum habuit, nullum populum timori nominis sui posse resistere. Accedit quod vere insignes erant eorum institutiones militares¹⁾: imperabat decem militibus decurio, centum centurio et deni centuriones praefecto erant subditi. Decem turmas Tug nominabant, decemque Tug efficiebant Toman. Omnes hae tanti exercitus partes diligentissime praefectorum obsequio tenebantur, cujusque erat Mongoli mortem despernere, suoque discedere loco maximum habebatur crimen, mortis-

¹⁾ Kuelb c. V p. 94. D'Ohosson: *Histoire des Mongols depuis Tschinzuiz-chan jusqu'à Timour Baj ou Tamerlan.* livre II chp. III. p. 122.

que erat reus, qui tali modo violaret militarem disciplinam. Dubitare in aggrediendo non minus quam fugere ex proelio crimen erat capitale, quo gravius nihil habebatur. Equi erant statura parvi et humiles, sed agiles celeresque et ad labores tolerandos aptissimi, equites strenui atque fortes. Militum corpora tegebantur bovinis coriis, insutis laminis firmioribns; arma gestabant arcum, clavas aeneas et sagittas, quarum usu inter omnes erant insignes.¹⁾ Eo autem tempore, quo hae res in discriminine erant, plurimi Mongolorum armaturis christianorum, qui in proeliis interfici erant, elegantius et firmius erant exornati. In aggressu nubes quasi sagittarum emittebant, procedebant et refugiebant dolose, ut hostes in insidias abducerent; ut manus vero consererent et gladiis strictis pugnarent haud facile impellebantur.²⁾

Gentes subactas in prima acie semper collocabant et retrocedentess expugna ipsi interficiebant, quum vero res in discriminine essent, hostesque victoriam se esse reportatuos crederent, acies subsidiaria, Mongoli ipsi, robur copiarum, in medianam pugnam se immisit victoriamque, quam pro certo hostes jam habebant, pugna acerrima, ut redimerent, omnes intendebant vires. Urbes munitas earumque castra circum dabant vallis undique et continuo vexabant machinis — quassatis autem muris novis semper et integris agminibus impetus faciebant et defensores impediebant, quominus sese reficerent. Si autem hoc modo urbem expugnare non poterant circa urbem castra ponebant munita, in quibus permanebant donec praesidium fame cogatur, ut deditioinem faciat. Mongolos autem semper pugnis discriminem fecisse acie hac

¹⁾ D'Ohsson p. 207: „Ils se garantissaient le corps par des armures du cuir. L'arc était leur arme principale.“ Pauthier: Le livre de Marco Polo. e. 59 p. 192: „Leurs armes sont arc et pillet et espées et maies, mais des arcs s'aident plus que d'autre chose; car ils sont trop bons archies, les meilleurs que l'en sache ou monde.“

²⁾ Pauthier: Le livre de Marco Polo p. 192: „quant il viennent à la bataille contre les ennemis il les vainquent en cest maniere; car il n'ont pointe de honte à fourir et en fuiant se tournent et traient de leur arc moult bien à leur animis“

subsidiaria, iterum Joannes de Plano — Carpini est auctor. Perlustratis igitur utriusque exercitus et disciplina militari institutionibusque et numero, convertimus nos ad ipsam relationem pugnae, quae in loco, qui dicitur Walstat, est commissa.

De universis et singulis rebus in hac pugna gestis omnino nihil satis certi memoriae proditum est totaque Dlugossii relatio, quam omnes fere posteriores scriptores secuti sunt veritate prorsus caret indigetque, nec quidquam a scriptore aequali proditum invenitur, quod pro testimonio dicat. Nihil enim aliud constat, ut jam antea commemoravimus, nisi pugnam IX die mensis Aprilis anni 1241 in loco haud procul a Legnicia sito commissam esse, et Henricum II Pium ducem mortem occubuisse simul cum maxima militum nobiliumque suorum parte.

Quod attinet ad illas a Dlugossio descriptas machinas, quarum mirabili atque horribili imagine atque effectu Henrici exercitum victorem perturbatum et fugatum esse ille allucinatur, quasque Knoblich¹⁾ rursus in honorem est adducturus, credimus Mongolos talibus machinis, quales commemorat Dlugossius in pugna ad Legniciam commissa, non esse usos. Knoblich enim injuste nititur in loco²⁾ Joannis de Plano — Carpini citato; nam illo modo intelligitur Joannem Presbyterum fecisse imagines cupreas, quibus contra Mongolos pugnaret. Nescimus igitur quo jure concludi possit, quod Joannes Presbyter contra Mongolos machinis ad hominum imagines instar in proelio usus sit, Mongolos quoque in pugna Walstatiensi similes adhibuisse. Fere incredibile deinde est, non futurum fuisse, ut rumor cladis et fugae

¹⁾ Leben der heiligen Hedwig.

²⁾ IV tom. Recueil de la société de Géographie. p. 655. . . et cum ad locum praelii pervenissent, istos equos unum juxta alium praemisserunt, viri autem, qui erant in predictis imaginibus et cum solibus fortiter sufflaverunt, unde factum est, quod sex igne graeco homines comburebantur et equi, et ex fumo aer est demigratus.“ Dr. G. Oppert. „Der Presbyter Johannes in Sage und Geschichte.“

exercitus christiani tam terribilibus machinis effectae per totam Germaniam, quam celerrime pervulgaretur, omnino vero nihil tale a quolibet illius temporis scriptore relaturn invenire potuimus. Utcunque res se habet, Wenceslaus rex, qui, ut epistola ejus docet, haud nimis procul loco proelii commissi aberat, a perfugis tam terribilem nuntium acceperit necesse est, quamquam in epistolis¹⁾ ejus nullum hujus rei vestigium exstat. Consentimus plane cum alicujus scriptoris dicto contendentis, semper fuisse devicti cladem acceptam aliqua tegere excusatione.²⁾

Quantus fuerit numerus interfectorum non satis appetet: referunt³⁾ enim fratres Praedicatorum et Minores decem milia cum Henrico esse imperfecta, abbas⁴⁾ vero monasterii alicujus Ungarici, qui Mongolorum incursionem Viennam effugerat, quadraginta occubuisse milia, narrat, qui vero numerus major est, quam qui credi possit; videtur scriptor summam totius exercitus commutasse cum interfectorum numero. Chronica Lunebergensia⁵⁾ Henricum cum triginta milibus mortem occubuisse tradunt. Ex omnibus etsi variis relatis elucet, exercitum fortiter pugnasse majoremque ejus partem, cum duce pro patria et Christi fide obiisse mortem. Quocunque christiani in pugna Walstatiensi mortem occubuerunt, Mongoli quoque haud parvo detimento fuerunt afflicti; nam equites Henrici ducis et arma gestabant meliora et armaturis firmiores sagittis existebant. Hostes igitur, quamquam

¹⁾ Schannat: Vindemiae Literariae. p. 204. Huillard - Bréholles: Historia Diplomatica p. 1215. Hormayer: goldene Chronik. Abtheilung II p. 66.

²⁾ D'Ohsson livre II c. III p. 127: „C'est ainsi dans tous les temps que les vaincus ont voulu sauver leur honneur.“

³⁾ Matthaeus Paris. Additamenta p. 1130.

⁴⁾ ibidem.

⁵⁾ Eccard I p. 140. sequ.: „Do stridde mit in de Hertoge, Heinric van Polenen, unde ward geslagen, unde mer dan drittich dusend Volkes mit eme, ane de binnen deme Lande geslagen wurden Wi funde Kindere.“

victores, tot hominum suorum morte perterriti ultra procedere dubitaverunt et Vratislaviam versus abierunt.

Tertio autem die post pugnam St. Hedwigis cum Anna nuru Crozna, quo eas Henricus dux, priusquam pugnaretur, dimiserat, locum poelii commissi adiit. Frustra vero et mater et conjux dilecti filii corpus investigaverunt; nam quum hostes imperfecto caput detruncassent a cervicibus et omne vestimentum ei exuisserent, Hedwigis et Anna, ut tradunt, Henricum modo ex sexto sinistri pedis digito agnoverunt. Caput vero detruncatum Mongoli sagittae infixum deportaverunt.¹⁾ Corpus autem illius fortissimi viri Vratislaviam est deductum et in monasterio St. Jacobi nuper condito est sepultum, comites vero Virbanienses et Boleslaus Depoltic in claustro Lubensi humati sunt. Ceterorum vero reliquiae in loco proelii, qui deinde Walstat nominabatur, terrae sunt conditae et insuper ecclesia est aedificata.

Caput III.

De Vratislavia a Mongolis diruta atque arce obsessa.

Duae inveniuntur opiniones ad Vratislaviam deletam spectantes: alteri enim scriptores referunt, urbem ante pugnam apud Legniciam commissam ab arcis praesidio inflammatam esse, alteri vero, urbem a Mongolis, et quidem etiam ante pugnam, incensam esse, nos vero credimus, Vratislaviam a Mongolis post pugnam Legnicensem dirutam esse. Quo autem melius nostram defendamus sententiam

¹⁾ Chronik des Pulkava. Dobner III. Di Tutschkronik von Behem-lant. Dalimil. ed. Venceslav Hanka. Stuttgart 1859.

locos citamus hac de re existentes, eosque inter se comparantes, demonstrabimus, nostram sententiam consentire cum fonte fide dignissimo.

Rogerius c XX p. 267: „Peta rex per Poloniam dirigens gressus suos, uno ab ipso de ducibus Poloniae interfecto et destructa Vratislavia civitate nobilissima, et strage facta mirabili ac in terrem ducis Moraviae, aliis ducibus praestare sibi auxilium nequeuntibus, simili crudelitate pervadens, ad Portam Hungariae festinavit.“

Dalimilis chronica: „darnoch komen si mit iren her
for Olmuncz dy tatrer
vnd virderbitn an der stunt
von Behem dez Konigiszun.

• • • • •
di tatrer kartin wider
silegtn sich vor bretslab sider
hendrich broda gink gein in
wundirlich virdarb sin schin
do trugin dy tatrer
sin houbt of einen sper.“

Annales Silesiaci Compilati: Cives vero Wratislavienses, auditio quod pagani appropinquarent omnes fugerunt de civitate, custodes vero castri descendentes in civitatem, victualia, que remanserant et alias res plurimas acceperunt et in castrum detulerunt ac civitatem accenderunt. Postea autem feria secunda post octavam pasche V Idus Aprilis Tartari in Legnicz proficiscuntur.“

Vita S. Ceslai: „Beatus Ceslaus natione Polonus etc. Hic circa annum Domini MCCXVI cum Tartarorum rabie Polonia et Silesia devastarentur, existens in castro inclitae civitatis Vratislaviensis, cum aliis Christi fidelibus orationibus suis Civitatem ab eorum insania potenter defendit. Ipso nempe orante, globus igneus super caput ejus apparuit;

quo perterritae Tartarorum legiones fugae praesidia assumperunt et a beuntes Civitatem intactam reliquerunt.“

Dlugossius p. 676: „Frater Czeslaus ordinis Praedicatorum natione Polonus et monasterii S. Adalberti in Vratislavia primus Prior, qui et ipse in castrum Vratislavense cum fratribus sui ordinis et aliis Christi fidelibus configuerat, oratione cum lachrymis ad Deum effusa obsidionem depulit. Eo si quidem in oratione persistente, columna ignea de coelo diminitus super caput ejus descendit et universum territorium atque locum civitatis Vratislavensis stupendo atque inennarabili fulgore illustravit. Quo prodigio Tartarorum pectora adeo in pavorem et stuporem conversa sunt, ut obsidione soluta fugerent magis quam discederent.

Cureus in Annal. Silesiacis.¹⁾) „Vratislaviam delati sunt Tartari, sperantes ex ea Urbe quam esse caput in Silesia didicerant, uberem praedam. Sed cum Urbs ea aetate nondum valeret robore militari et parum esset munita, cives res suas in Arcem comportaverant, ipsi vero discesserant, deinde praesidiarii tecta, ne eis frueretur hostis, inflammauerant. Tartari decepti spe sua insti-tuunt terribilem oppugnationem Arcis. Sed manifeste ibi conspecta est praesentia Dei defendantis alias Ecclesie reliquias. Tartari enim perterriti sunt flammis ex coelo cadentibus et late inter ordines ipsorum discursantibus et ita precibus piorum ab Arce sicut olim Attila ab urbe Aurelia in Gallia fulgoribus et tonitru rejecti sunt.“

Primum si quaeritur, qui locorum fide sit dignissimus, jam antea quidem universe disseruimus, restat vero ut de singulis nonnulla in medium proferamus. Nulli omnium locorum, quos citavimus, major tribuenda est fides, quam Rogerii, licet scriptor verbis suis repugnet opinioni, quae

1) Acta Sanctorum Julii XVI. tomus IV.

de Vratislavia incensa atque arce oppugnata pervulgata est. Verba enim „uno ab ipso (sc. Peta) de ducibus Poloniae interfecto et destructa Vratislavia civitate nobilissima et strage facta mirabili“ sine ullo dubio demonstrant, urbem post Henrici ducis mortem, itaque post pugnam Legnicensem a Mongolis esse dirutam. Parvi est momenti, quod Dalimilis relatio obloquitur verbis Rogerii; nam jam antea demonstravimus, Dalimilis narrationem praesertim hoc in loco nonnullis obstructam esse erroribus; et scriptor pugnam Legnicensem post victoriam apud Olmucz a Jaroslao de Sternberg de Mongolis reportatam faciens non minus errat quam inducens Vratislaviam obsessam ante pugnam apud Legnicz commissam. Perlustrantibus nobis ceteros locos haud dubium esse potest quin inter sese magna sint similitudine et credimus, Dlugossem historiam suam conscribentem in annalibus Silesiacis, quos autores compilatos appellavere, innixum esse; Curreus deinde sequitur Dlugossem indignus quoque, qui observetur.

Quod attinet ad vitam St. Ceslai, editor in actis sanctorum ipse confessus est, illam fide non plane dignam esse. Vere igitur modo repugnantes Rogerii et annalium Silesiacorum relationes sunt examinandae et facere non possumus quin dicamus, Rogerium multo preferendum esse annalibus; nam si decernendum est inter relationes diversa in medium proferentes, semper aequalium relata magis fide digna videntur, exceptis utique iis, quae plane a veritate abhorrent, quod vero convicium Rogerio nunquam est faciendum.

Plurimi scriptores posterioris temporis, qui de hac re retulerunt sine delectu Dlugossem seuti contendunt, Vratislaviam et ante pugnam Walstatiensem et ab arcis praesidio esse devastatam, ita scripsit Stenzel, historiae Silesiacae peritissimus vir, quem quoque nuper Knoblich in vita sua St. Hedwigis sequitur. Jam prius vero Roepell in historia

Poloniae¹⁾) non modo pronunciavit probabile non videri, quod Mongoli ex Silesia inferiore Vratislaviam contenderint, sed notum facit, magis credi posse, Mongolos post pugnam in Walstat commissam Vratislaviam delevisse. Quod denique attinet ad oppugnationem arcis Vratislaviensis per Mongolos factam scriptores aequales, licet nihil commoren, tamen tantum abest, ut eam plane denegemus, ut immo probabilem habeamus.

Breviter nunc complectimur res: Mongoli, postquam ipsi in pugna haud parvo detimento victoriam reportaverunt, interfecti ducis caput detruncatum hastae superinfixerunt et Vratislaviam perrexerunt, quam urbem civibus interfectis incenderunt exceptis nonnullis aedibus lapideis, quarum nonnullae in literis publicis anno 1243 datis commemorantur.

Timentes autem, ne in Viadri fluminis locis humilibus a Wenceslai exercitu opprimerentur, et arcis oppugnazione omissa in Viadri fluminis laeva ora meridiem versus iter flexerunt et prope ad Ottmachaw quatuordecim dies castra habuerunt, unde initio²⁾ Maji mensis Moraviam ingressi sunt. False igitur dicuntur Mongoli timore Wenceslai regis permoti Silesia egressi esse, nam exercitus timidus non spatium quatuordecim dierum commoratur dum hostes in propinquuo sunt. Hac deinde re intelligitur, Wenceslaum aut occasionem hostium aggrediendorum praetermisisse aut ei jactabundum consilium Mongolos delendi omnino non infuisse. Hujus tam memorabilis rei explicandae petimus veniam.

¹⁾ p. 470.

²⁾ cfr. I § 1 Nr. VI. „et ante Ascensionem Domini Moraviam intraverunt.“

Caput IV.

**Wenceslaus, Bohemiae rex, quomodo
et ante et post proelium in Walstat commissum
se gesserit.**

Cur Mongoli Ungaria superata et Henrici exercitu devicto non ultra occidentem versus processerint, a scriptoribus varie explicatur. Si praeclarus Germanicus scriptor¹⁾ gloriam Mongolorum a Germaniae portis rejectorum Friderico vindicat Austriae duci, nobis hac de re nihil amplius est referendum, si vero Palacky contendit, praesertim Wenceslai regis consiliis et rebus gestis esse factum, ut Mongoli Germaniam aliasque terras non invasissent Ungariaque excessissent, haec sententia nobis probabilis non videtur.

Palacky nimio amore populi sui inflammatus contendit, Mongolos, quod Wenceslaus haud procul loco proelii affuerit, pedes retulisse, quae vero illius sententia non est accipienda atque in explicando nostro judicio duabus utimur Wenceslai epistolis, quarum tres nobis restant: duae priores summi sunt momenti, tertia vero ad rem nihil refert. Prima ex epistola,²⁾ quam rex statim, postquam certior de pugna ab Henrico duce commissa factus est, conscripsit, quanto timore Mongolorum occupatus fuerit, satis intelligi potest. Hanc vero epistolam Palacky non novisse aut consilio neglexisse videtur. Sequitur deinde epistola,³⁾ quam Wenceslaus sub medium mensem Majum dedit, qua rex arrogantius quam verius ipse laudem suaे virtutis praedicat. Primam epistolam eo tempore quum Wenceslaus conscripsit nondum de Henrici morte certior erat factus, neque id egit, ut obviam iret, sed his

¹⁾ Friedrich v. Raumer. Geschichte der Hohenstaufen und Babenberger. Schwammel. Zeitschrift für die österreich. Gymnasien Achter Jahrgang. Wien 1857. p. 165—695.

²⁾ Hormayer goldene Chronik. Abtheil. II. p. 66.

³⁾ Schammat Vindemiae Literariae p. 204.

ipsis verbis „ipsorum adventum volumus exspectare“ docet, se cum exercitu in finibus Bohemiae exspectatum esse, donec hostes adveniant. Addit deinde rex, timere se, ne ab hostibus opprimatur, quum ab amicis auxilia sibi non mittantur: ut breviter igitur dicamus, tantum aberat, ut rex hostes adoriri vellet, ut tanto cladis timore esset perculsus, quantus fortiter aggressurum ducem vix deceat. Verba deinde „quod vix distat duodecim miliari a Gubin“ demonstrant, epistolam a Wenceslao in loco, qui dicitur Guben, esse conscriptam. Autor Silesiacus¹⁾ in opere nuper edito sententiam in medium protulit, Wenceslaum, quum audivisset, Henricum ducem esse devictum, statim usque ad Guben pedes retulisse; hoc vero lauream, qua Wenceslaum hac in re dignum omnino judicare non possumus, miserabilius deformaret, contendimus autem nos, ex Wenceslai verbis „in terminos terre nostre convocatis milibus, ipsorum adventum exspectare volumus,“ recte concludi posse, regem ultra Gubin progressum non fuisse quum illam componeret epistolam.

Secundae Wenceslai literae docent, regem cum magno exercitu hostes quominus ultra procederent, impedivisse, plura immo Wenceslaus ipse narrat, se simul cum Henrico duce Mongolis obviam ire in mente habuisse: quum vero ille suo non exspectato auxilio pugnam iniisset, consilium hostes postridie aggrediendi se cepisse, quo vero auditio illos statim fugisse. Hoc significant Wenceslai verba, quae si vera essent, foret, ut Henricus non modo audaciae, sed etiam temeritatis coargui posset. Jam antea vero demonstravimus, qua de causa Henricum hostes aggredi opportunit. Repugnat vero haec secunda regis epistola plane illi, quam jam commemoravimus et comparantibus nobis alteram cum altera haud difficile erit intellectu, regem veritate

¹⁾ Schirrmacher IV. Nachträge zur Mongolenschlacht.

neglecta laudem ut sibi colligeret et vituperationem, quod ducem Henricum destituisset, effugeret, tales composuisse literas.

Ceterum quum Wenceslaus ante pugnam in Walstat commissam ad Guben cum exercitu staret, postridie pugnam usque ad castrum Legnicense vel ultra procedere et manus conserere cum hostibus omnino non poterat. False quoque rex dicit, Gubin a castro Ligentzi duodecim milliaria abesse; id quod timorem et perturbationem tum in castris Wenceslai regis provulgatam explicat. Quo modo etiam illae tam miserae preces et timor, ne ab amicis relictus devincatur, consentiant cum fiducia, quam Wenceslaus prae se fert altera in epistola, intelligere non possumus omnibus a nobis in medium prolati plane constat, Wenceslaum, etsi antea consilium pugnae cum hostibus committendae habuerit, tamen clade, qua Henricus afflictus est, cognita, hostes adoriri neque voluisse neque potuisse. Ad hanc nostram sententiam comprobandum testimonium episcopi aequalis¹⁾ afferimus, qua elucet, quo modo homines illius temporis de Wenceslai regis et consiliis et rebus gestis dijudicaverint. Docet enim nos ille episcopalnis epistola, regem Mongolis obviam eundi cepisse consilium, Belae vero regis auctoritate commotum, ne mortis periculum subiret, neve clade accepta dehonestaretur, recessisse. Aequales non nimis confisos esse regis armis rebusque gerendis porro ex literis intelligi potest, quas Henricus Longathuringiae Comes, Palatinus Saxonum,²⁾ Brabantiae misit principi ac duci. Refert enim ille Henricus, consanguineum suum Wenceslaum a se auxilium acriter petuisse atque pro certo habet, circiter octavas Paschae Mongolos Bohemiam esse ingressuros, et si auxilium Wenceslao non suo tempore feratur, fore, ut tota regis terra crudeliter devastetur. Accedit denique testimonium anna-

¹⁾ Hormayer Abth. II. p. 70.

²⁾ Matthaeus Paris p. 496.

lium Silesiacorum compilatorum,¹⁾) quibus elucet, Mongolos post pugnam Legnicensem et Vratislaviam dirutam apud Ottmachaw quatuordecim dies in castris commoratos esse: ubi terrarum igitur Wenceslao jactabundo, si consilium omnino Mongolos aggrediendi ei infusset, melior occasio erat exspectanda? Nusquam autem legimus, regem eos ibi adortum esse et hoc loco rex, contendens, Mongolos se timentes Silesia exisse, repellitur; nam hostes fugitivi et tali timore, quali eos fuisse rex contendit, perculsi, quatuordecim dies in terra hostili non commorantur.

Si quaeritur, cur Batus Ungaria superata et Henrico duce devicto atque interfecto in terras occidentem versus non ultra processerit, nihil satis constat, quod scriptores aequales de hac re aut nihil²⁾ aut nihil dignum, quod crederetur, memoriae tradiderunt; pro certo vero est habendum, Mongolos non Wenceslai Bohemiae regi timore commotos abiisse et veri simile est, Batum, postquam in Ungaria, Polonia et Silesia permulti interfici sunt Mongoli eorumque vires debiliores, quam quibus terrae occidentales superari possent, visae sunt, certiore factum de Octao imperatore in Asia defuncto, exercitum suum quam celerrime abduxisse. Accedit, quod Germania et aliae occidentis terrae montium praesidio firmatae sunt, neque talis planities, qualis inde ab Scythia usque ad Carpathos montes tendit, Mongolicis equitibus area patebat.

¹⁾ Pertz: Monumenta Germaniae XIX.

²⁾ Continuatio Garstensis: Monum. Germ. XI ad. a. 1241 „Tartaris propriae voluntatis motu sive Dominos disponente retroversis. Annales Scheffti ibidem: „Sed qualiter a finibus christianorum recesserint, ipse solus deus arbiter novit.“

Caput V.

Literae, quae his temporibus lucem afferunt, per paucae inveniuntur et variae sunt tam auctoritate quam fide scriptoribus tribuenda. Dividi igitur possunt et in epistolas aequalium et annalistas et chronistas et scriptores posteriores. Quod omnes hujus temporis chronistae et annaliste monachi vel sacerdotes erant, quibus curae summopere erat, describere res, claustra atque ecclesias spectantes, aut res publicas plane practereunt silentio aut brevius ennarrant, unde factum est, ut de his tam praecclare gestis, quae commemoravimus, per pauca memoria digna relata essent. Quo fide dignius describereimus Mongolorum expeditionem in Silesiam factam, omnia hujus temporis literaria testimonia summa cura perlustrata ordinavimus et secundum tempora, quibus autores scripserunt et secundum loca, in quibus vixerunt, et indagavimus intentiones quibus, permoti scripserint autores.

§ I.

Literae aequalium.

Epistola Juliani Praedicatoris Ungarici.¹⁾

Licet ille conscriperit epistolam suam adhuc ante incursionem Mongolorum in terras Europae occidentales factam, tamen ea ideo est momenti, quod autor ipse permigravit maximam Asiae occidentalis partem, et quod ipse vidit pugnas in Russia a Russis contra Mongolos commissas. Simul enim cum tribus comitibus Ordinis sui, pecuniis Belae regis instructus, dimissus erat anno 1237, ut populares Ungarorum, qui in Asia relictii esse dicebantur, inquireret. Julianus, sociis morte privatus, ad Wolgam et Kamam fluvios habitantes populares invenit, qui eadem ut Ungari utebantur lingua. Quum vero Mongolorum adventus immineret, domum abiit, ut suos de imminentи certiores redderet periculo.

I.

¹⁾ Hormey er goldene Chronik von Hohenschwangau. Abtheilung II
p. 67.

Cujus autem redditus ita tardatus est, ut hostium militarem disciplinam in Russia consiperet atque intelligeret. Autor epistolae diem, quo composita est, non adscripsit, appareat vero, eam sub finem anni 1237 vel sub in itum anni 1238 regi Belae esse missam, quam qui, ut Julianus ipse refert, Aquileiae Patriarchae dedit, a quo cum episcopo Brixensi et comite Tirolensi est communicata. Quod attinet ad fidem scriptori habendam, nobis est profitendum, omnia in medium prolata plane fide digna esse neque ab aliorum aequalium relatione abhorrere. Intentio scriptoris plane appetet: studet populos christiani nominis ex imminenti periculo ad fortē et animosam pugnam incitare. Oportet nos modo eos epistolae locos referre, qui ad militarem Mongolorum disciplinam respiciunt:

„Verum ut de bello vobis significarem, dicitur quod longius jacunt, quam alie consueverint naciones. In prima congressione belli, ut dicitur, non sagittant, sed quasi pluere sagittas videntur. Gladiis et lanceis minus apti dicuntur ad bellum. Taliter autem cunneum ordinant,¹⁾ quod decem hominibus unus Tartar preest, iterum centum hominibus unus centurio De multitudine autem ipsius exercitus vobis aliquid non scribimus quod omnium regnum, que obtinent, milites ad pugnam aptos compellunt ante se proeliari.“

Epistola Wenceslai Bohemiae regis.²⁾

- II. ad principes missa, qua, ut auxilium sibi ferant, petit. Quia vero antea accuratius de epistolis Wenceslai quaesivimus, quomodo rex et ante et post pugnam Wal-

¹⁾ Le Livre de Marco Polo ed. M. G. Pauthier. Paris 1865. p. 97: „Celui qui était le chef de 10000 eut le titre de Wén-hou; celui qui était le chef de 1000 eut le titre de Thiân-hou; celui qui était le chef de 100 eut le titre de Pê-hou.“

²⁾ Hormeyer goldene Chronik, Abthl. II p. 66. cfr. II § 5.

statiensem se gesserit, hunc modo locum adscribimus, qui ad tempus, quo epistola composita sit, respicit. Verbis enim: „et ipsum cum multis occisis penitus devicerunt“ plane apparet, regem de morte Henrici II Silesiae ducis tum, quum nuntius acceptae cladis allatus est, nondum certiore esse factum. Hoc efficitur, ut rex, qui a loco proelii commissi haud procul aberat, statim post nuntium cladis, id est adhuc IX die mensis Aprilis has conscripserit literas.

„Notum esse volumus omnibus fidelibus, quod Tartari omnem Poloniam preoccupaverunt et nulli tam seniori quam juveni, quin eum occiderent pepercerunt, et dux Polonorum sororius noster cum ipsis conflictum habuit et ipsum cum multis occisis penitus devicerunt et jam terre nostre fines invaserunt. Quod nos cavere volentes in terminos tere nostre convocatis militibus nostris, ipsorum adventum volumus exspectare. Ducem etiam jam dictum in castro Ligentze obsederunt, quod distat vix duodecim miliari a Gubin.“

Epistola Wenceslai regis.¹⁾

Hae regis literae plane nobis veritate abhorrere videntur et modo scriptae, ut laudem Wenceslaus sibi colligat ac vituperationem quod ducem Henricum deseruerit effugiat. Quando sit scripta verba indicant: „et sic, ut predictum est in terram nostram Moraviam diverterunt“; nam Jordanus commemoravit, Mongolos ante IX diem mensis Maji Moraviam esse ingressos, quo efficitur, ut rex epistolam post illum composuerit diem. False igitur Schannat eam citat, sub anno 1242.

III.

¹⁾ Schannat: Vindemias Literariae. Fulda sud Leipzig 1723. p. 204. cfc. II § 5.

irritum reciderent et recidiva negocii, graviora nobis et imperio iterata pericula remanerent Tuam igitur industriam exhortamur quatenus interim, cum tuarum conatu virium, dilecto filio nostro Conrado, in Romanorum regem electo, potenter assurgas, ad reprimendos impetus adversariorum communium et ingressus: ut eis non liceat campum liberum invenire, donec nos cum potentia maxima ad eorum confusionem ultimam veniemus“

Epistola¹⁾ Friedericici II imperatoris Henrico III Britanniae regi missa.

VI. Memorabiles hae literae quod in iis omnia continentur, quae ad imperatorem de Mongolis sunt delata. Describit autor et institutiones hostium militares et mores et rationem pugnandi et consilia commemorat, quibus permoti Mongoli dicebantur progredi contra Europae nationes. Data est epistola III die mensis Julii anni 1241 post expugnationem Faventiae.

. „Homines parvae ac brevis statura sunt, quantum ad longitudinem, sed solidi, lati et propaginati, rigidi ac fortes et animosi, ad nutum sui Ducas ad quae-libet ambigua proruentes: vultus amplos, aspectus toros, clamores horribiles habent, cordibus consonantes: cruda gestant coria, bovina, asinina, vel equina insutis laminis ferreis, pro armis muniuntur, quibus hactenus usi sunt. Sed quod non sine suspisiis dicere possumus jamjam de victorum spoliis Christianorum armis decentioribus elegantius muniuntur. ut propriis armis, irato Deo, turpius et anxius trucidaremur. Insuper equis melioribus instaurantur, epulis lauitoribus reficiuntur, vestibus pulchrioribus adornantur dicti Tartari, quibus vitae prodigis, arcus arma.

¹⁾ Huillard-Bréholles p. 1148 et Matthæus Paris p. 496.

magis sunt familiaria, cum lanceis missilibus et sagittis, quarum usus apud eos et continuus et fortius aliis exercita habent brachia, ipsos penitus dissipatos devicerunt. Et quos fuga non eruit cruentatus eorum gladius interemit Nam una per Pructenos (?Ruthenos) transmissa et ingrediente Poloniā, Princeps et dux terrae illius ab eorum inseguenti ex terminio ceciderunt, et dein tota fuit per eos illa regio devastata. Secunda, Bohemiae fines ingressa est, et aggressa substitit, Rege illius terrae cum suis conatibus viriliter occurrente. Tertia percurrit Hungariam Austriae finibus vicinandam Datum Faventiae III Julii. In recessu post deditōnem Faventiae.“

**Epistola¹⁾ Germanicorum fratrum Ordinis Praedicatorum et
Minorum ad confratres eorundem Ordinum.
in plagis occidentalibus.**

Quo viciniores monachi locis, in quibus tum Mongoli erant, eo certior notitia rerum, quae acciderant, eo vero major terror, quo Mongoli omnes impleverunt populos et eo accuratius sunt examinandae relationes, quas memoriae tradiderunt. Omnia autem, quae referunt monachi hac in epistola consentiunt ita cum ceterorum aequalium narratione, ut non sit, cur dubitemus quin relata sint vera. Quo loco sit conscripta epistola non appareat, sed quando sit data elucet ex verbis „in festo St. Jacobi nunc instanti.“ Illud enim festum anno 1241 celebratum est XXV die mensis Julii, quo efficitur, ut literae paulo ante illum diem sint scriptae; memorabilis porro locus, quo monachi explicant, Mongolos Poloniā ante festos dies Paschales, scilicet ante XXXI diem mensis Martii esse ingressos.

. . . . „Haec autem quae vobis scribimus, esse sciatis verissima: utinam tamen falsa. Viri robusti sunt, bellirosi,

¹⁾ Matthaeus Paris. Additamenta p. 1130.

multi numero et satis bene armati; plurimas terras vastaverunt. Inter quas socatis Russiam in magna parte vastatam Kioviam civitatem et castrum, quod erat ibi, destructum est multis interfectis. Narraverunt nobis profugi de terra illa, in Saxonia praecipue, quod terram illam cum castris triginta et duabus machinis impugnaverunt. Et Ruscenos impugnaverunt viginti annis. Isto autem anno venientes ante Pascha in Poloniā, bonas ciuitates plurimis interfectis obtinuerant: Quibus cum occurseret Dux Henricus Poloniae, cum exercitu suo, ipsum, et ut dicitur fere decem mille de suis occiderunt. Procedentes de Polonia, fines Theutoniae attigerunt; deinde declinantes in Moraviā et illam bonam terram vastantes; alii exercitui venienti per Hungariam occurrerunt; et praevalentes, dicuntur modo potissimum partem Hungariae, expulso Rege, possidere Rex Theutonicorum et filius Imperatoris, in festo St. Jacobi nunc instanti, cum maxima militia proponunt proficisci contra eos: et quamvis dicantar Tartari multi, sunt cum eorum exercitu pessimi Christiani et Comani, quos Theutonice Valvem¹⁾ appellamus. Convenerant autem in Civitate Merseburg: ibi audierunt quod Rex Hungariae scripserat Regi Bohemiae, quod viribus receptis et maximo exercitu congregato, occurrere voluisse. Sed non praesumpsit propter fortitudinem Tartarorum, sed tamen dixit se velle in aliquem locum munitum justa mare cedere. Valete.“



¹⁾ cfr. Lueneburger Chronik.

V I T A.

Natus sum Athanasius Kopietz die XXXI mensis Augusti XLIII h. s. Strehlenae, quod est oppidum Silesiae, matre e gente Ender, patre Joanne magistro et chori rectore ecclesiae parochialis Suidnicensis. Fidem profiteor catholica-
cam. Primis literarum elementis imbutus gymnasium Suid-
niense adii et deinde Octobri anni XLIV h. s. cum testi-
monio maturitatis dimissus in universitate Literaria Viadrina
a Viro Ill. Roemer, qui tum fasces tenuit academicos, civi-
bus adscriptus sum et nomen dedi apud Vir. Ill. Roepell,
illo tempore pro decano res gerentem. Deinde per novem
semestria studiis historicis, philologicis, philosophicis operam
navavi. Scholis interfui Vir. Ill. Bernays, Braniss, Haase,
Herz, Junkmann, Neumann, Roepell, Rossbach, Rueckert.
Aliquantum temporis regii historici seminarii sodalis fui.



BIBLIOTEKA SEMINARIUM DUCHOWNEGO
we Wrocławiu

12855

WDN - Zam. 1975/81 - 20000

THESES.

- I. Jus Romanum nihil profuisse contendendo gentibus ad excolendam libertatem, quin etiam nocuisse.
- II. Aurera bulla, a Carolo IV data, plurimum ad delendam imperatoriam potestatem valuit.
- III. Carolum V et mente et ingenuo militari et sapientia sumnum sui saeculi fuisse imperatorem quidem contenderim.
- IV. Mongolorum exercitus omnes sui saeculi gentes praesertim institutionibus militaribus superasse, defendeo.